

quia nihil docet Christo aut doctrinæ ejus contrarium, sed omnia conformia, ut exponit S. Chrysostomus et Cyrillus. Spiritus erroris ex propriis loquitur cum mendacium loquitur, Joan. VIII. non ita Spiritus Christi, qui Dei Pa-

tris et Filii placita annuntiat hominibus. Hunc ergo nos doctorem audiamus, auditores; non attendamus spiritibus erroris, ne a via veritatis abrepti de internis ignorantie tenebris ejiciamur in tenebras exteriores.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUOMODO ARGUATUR MUNDUS DE PECCATO, JUSTITIA ET JUDICIO.

I. Spiritus sanctus arguit mundum de peccato. — II. Arguit de justitia. — III. Arguit de judicio.

THEMA.

Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. Joan. XVI.

Non dubito, auditores, parsuasum vobis esse, quod per concionatores loquatur vobis Spiritus s. Id enim docent ss. patres, qui hodiernum exponunt evangelium, et ratio ipse convincit; cum idem omnino Spiritus, qui olim per ora apostolorum mundum idololatriæ immersum redarguit, nunc vitiiis deditum per ora prædicatorum reprehendat. Sed forsitan in hoc hæretici seu dubio seu obstaculo: Quare Spiritus sanctus cum sit paraclitus, seu consolator, per linguas concionatorum perpetuo nos arguit? Raro enim audimus sermones consolatoris, sed plerumque invectivos et in scelera fulminantes. Quomodo Spiritus sanctus dicitur *paraclitus*, qui in mores nostros perpetuo invehitur? Quomodo concionatores sunt linguæ *paracliti*, qui in vitia nostra tam acres sunt Aristarchi? Ad hoc respondet S. Job, cap. VI. qui in suis vexationibus quas sustinuit a diabolo, sed Dei permissu, ita loquitur: *Hæc mihi consolatio, ut affligens me non parcat, ne contradicam sermonibus sancti.* Quod explicans S. Gregorius, lib. VII. moral. cap. VII. ait: «Electi ferri paternam correptionem desiderant? Et dolorem vulneris medicamina putant? Ac si aperte dixeretur: Qui ideo hic quibusdam parcat, ut eos in perpetuum feriat: ideo me hic feriat, ut non parcendo hic, in perpetuum parcat, etc.» Itaque S. Jobo dæmonis vexatio, quantumvis dira et cruenta, fuit consolatio: quia futurum et longe majorum cruciatuum fuit redemptio. Consolatio est ægro, quamdiu ejus morbum medicus impugnat catapotis et clysteribus, sectionibus et ustionibus: quia hinc æger salutem sperat. Desperatio sanitatis est medici desolatio, et medicaminum subtractio. Ergo Spiritus sanctus tunc est vester consolator,

quando per ora concionatorum est vester redargutor. Audite reprehensorem.

I. Spiritus sanctus arguit mundum, h. e. mundo addictos homines de peccato. Quomodo de peccato? Primo, quia cum sint Christiani, jurati Dei servi, in baptismo ei adscripti, fiunt perduelles et peccando adherent dæmoni, mundo et carni. Non ita arguit infideles et Judæos, quia illi fidem non susceperunt: neque ea gratiæ auxilia ab ipso acceperunt, quæ obtinent Christiani: hinc Spiritus sanctus istos velut adulteros, Christo desponsatos, merito redarguit. Baptismus et christianismus, teste S. Cypriano, I. III. ep. II. ad Donatum, aliud non est, nisi *mors criminum et vita virtutum*. Et quid agit peccator christianus? Crimina in baptismo a Christo destructa, iterum resuscitat: gratiam et virtutes in eodem extractas iterum demolitur. Dira interminatus fuit Josue reparatori destructæ urbis Jericho, Jos. VI. et sensit Hiel instaurator, dum structura durante perdidit omnem sobolem suam, III. Reg. XVI. Quid mirum si redarguat Spiritus s. Christianos severius, quam infideles, qui dejectam Babylonem iterum exsuscitant? Magis adhuc et majori jure reprehendit eos, qui non modo post baptismum, sed etiam post penitentiam toties peractam, et promissam emendationem toties relabuntur in eadem peccata. Quemadmodum enim lepra semel curata et postea in cicatrice recrudescens detestabilior erat, ita ut sacerdos talem leprosum contaminare juberetur; quia plaga lepræ orta esset in ulcere, Levit. XIII. § XX. ut explicat D. Hieronymus, in c. VII. Mich. ita peccatum post veniam reviviscens, turpius et coram Deo execrabilius est. Quare tales peccatores Spiritus s. gravius redarguit et contaminat, destituendo sua gratia.

Secundo, quia post tot beneficia, præ aliis innumeris hominibus accepta, audent Deum offendere, et reddere malum pro bono, necnon ex divinis beneficiis cudere sibi arma, quibus in Deum pugnant. Non improperat quidem gratis sua beneficia Deus; ingratis tamen exprobrasse sæpiissime reperitur, uti imprimis populo Hebræorum, Jud. II. *Eduxi vos de Egypto, et introduxi in terram, pro qua juravi patribus ves-*

tris, etc. Et nolistis audire vocem meam. Rursum Heli sacerdoti, quod ejus domum extulisset ad dignitatem summi sacerdotii, et aliis condecorasset gratiis, ipse vero ingratus magis honorasset filios suos quam Deum ejusque domum, I. Reg. II. *verz.* XXVII. et seq. regi quoque Sauli per S. Amuelem: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis caput in tribus Israel factus es? Unacitque te Dominus in regem super Israel? Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini?* I. Regum XV. Davidi quoque per Nathan: *Ego unxi te in regem super Israel? Et ego erui te de manu Saul, et dedi tibi domum domini tui, etc. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* II. Reg. XI. Christus ipse mitissimus alioquin non potuit non de ingratitude notare novem leprosos sanatos, qui non redierunt ut gratias agerent, Luc. XVII. necnon in parabola conservum ingratum: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi: nonne ergo oportuit te misereri conservi tui?* Matt. XXI. Dignus redargutione est, et adhuc graviora promeritus, qui constitutus in summa necessitate mutuum ab amico impetravit, certa restitutionis fide datum, postea tamen non restituit, immemor beneficii. Fuit talis mulier illa, quæ sanguinis fluxu emoritura, jaspidis pretiosissimi, quem Alphonsus rex Aragoniæ ejus manui infixerat ad remedium, beneficio curata, eundem postea benefactori negavit, nec a se visum unquam asseruit, quam proinde regis aulici, qui rei gestæ adfuerant, non immerito detestati sunt, ut ex Panorm. alibi retulimus. Atque multos huic mulieri similes reperies. Quotquot in Deum peccamus, idem agimus omnino: pretiosissimum jaspidem, peccatorum remissionem et Dei gratiam quoties accipimus in sacramento penitentiae? Et tamen ingrati Deo, non reddimus quod debemus. Unde Psal. XXXVI. verissime ait David: *Mutuabitur peccator, et non solvet, q. d. multa a Deo beneficia accipiet quin vel unum beneficium rependat.* Ita S. August. in eum Ps. «Quanta, inquit, accepit peccator pro quibus non solvit! Accepit ut sit homo, multumque intersit inter ipsum et pecus. Accepit corporis formam, accepit in corpore distinctionem sensuum, ad videndum oculos, ad audiendum aures, ad odorandum nares, ad gustandum palatum, ad contractandum manus, ad ambulandum pedes, salutemque ipsam corporis. Sed adhuc ipsa et cum peccore habemus communia. Accepit etiam amplius mentem qua possit intelligere, qua possit capere veritatem, qua possit justum ab injusto discernere, qua possit indagare, desiderare creatorem, laudare et inherere illi. Hæc omnia accepit et peccator,

sed non bene vivendo, non reddit quod debet. Ergo fœneratur peccato et non solvit, non reddit ei a quo accepit, non agit gratias; imo vero rependit mala pronobis; blasphemias, murmur, adversus Deum indignationem, ergo ille fœneratur et non solvit.»

Tertio, quia cum tam facili et passim obvio confessionis redimere et delere sua peccata possint, negligunt tamen et hærent sæpe totis mensibus et annis in peccato Dei quo odio et inimicitia, quæ sane ingens vesania est, omni increpatione et flagellatione digna. Dicite enim quantam objurgationem meruissent Hebræi in deserto, a serpentibus admorsi, si erectum sibi pro remedio serpentem æneum aspicere neglexissent? Atqui peccatam serpente magis virulentum est. Unde Ecclesiast. c. XXI. *Quasi a facie colubri, inquit, fuge peccatum: dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum.* At hoc expiare possumus facili remedio, aspiciendo Christum propter nos serpentem factum, et in cruce suspensum ob peccata nostra, et hoc cogitando cum dolore de peccatis: expiare possumus indicando morsus nostros uni sacerdoti. Quid hac medela facilius? «Si corporis morbum patiamur, inquit S. Chrysost. hom. XLVI. ad pop. omnia facimus et tractamus ut a molestia liberemur: anima vero nostra male habente tardamus et differimus, propterea nec a peccatis liberamur:» et paulo post: «Tu vero hominem quidem exacerbans et amicos, et vicinos, et janitores rogas, et pecunias impendis, et multos absumis dies accedens et supplicans: et sive semel, sive bis, sive milies te repulerit irritatus, non recedis, sed magis contendens majorem affers supplicationem, Deo autem omnium exacerbato, oscitamus et recedimus, et deliciis, et ebrietati vacamus, et omnia pro consuetudine facimus: et eum quando propitium facere poterimus? Quomodo vere non ex hoc ipso magis eum irritamus? Nam peccantes non dolore, magis eum indignari facit et irasci, quam peccare. Qua propter ipsam jam dignum est terram subire, nec hunc solem intueri, neque penitus spirare, quod tam facilem habentes Dominum, et eum exasperamus, et exasperantes penitentiam non agimus.» Ob hanc desidiam videtur objurgasse Deus Salomoni, III. Reg. XI. quod in tam diuturno tot peccatorum statu hærens, tot pellices conquisierit, tot fanæ idolis struxerit, nec inquam interea de propitiando Deo curam habuerit, cum sciret eum a patre suo Davide, uno verbo: *Peccavi, statim fuisse placatum. Quia habuisti hoc apud te, inquit, et non custodisti pactum meum, etc. dirumpens scindam regnum tuum, q. d. quia serpentem fovisti in sinu tuo, tot mulieres et tot idola, cum tamen*

facile posses eum abjicere, et neglexisti, disrum-
pam regnum tuum, uti serpens peccati dirupit
animum tuum : vel : *Habuiisti hoc apud te, h. e.*
remedium in promptu, si adhibere voluisses,
dicendo cum patre tuo : *Peccavi Domino* ; quo
modo Ps. XLI. dicitur : *Apud me oratio Deo vitæ*
meæ, hoc est, in promptu habeo remedium,
orationem.

II. Arguit mundum de justitia. Quia enim su-
blata justitia stare nequit respublica, nec mundi
toti gubernatio, quando in hominibus ea de-
sinit, illico Dei ira et increpatio incipit, nec
quiescere potest, donec restituatur. Hinc de
Persis, qui sub Cyro, et rursum sub Dario Hys-
tape, tempore Zachariæ prophetæ, vastarunt
impiam Babylonem, ait Deus, Zach. VI. *Requies-*
cere fecerunt spiritum (Septuaginta habent *furo-*
rem) *meum in terra aquilonis, q. d. inquietus fui*
donec Persæ exsaturarunt appetitum meum,
sumendo vindictam de tyrannis Babylonis.
Arguit ergo mundum, primo de justitia male
administrata. Quod ostendi potest in Heli sa-
cerdote, qui cum gravia filiorum scelera pro
merito non castigaret, vocavit Deus in somnis
puerum Samuelem, quater repetitis vocibus, ut
per os ejus argueret Heli pontificem ; quasi non
potuisset quiescere Dei justitia, donec vindictam
a reo sumeret. Quid vero ei nuntiat ? « Ecce ego,
inquit, facio verbum in Israel, quod quicumque
audierit, tinnient ambæ aures ejus. Prædixi enim
ei, quod judicaturus essem domum ejus in
æternum propter iniquitatem ; eo quod noverat
indigne agere filios suos, et non corripuerit eos. »
Vult dicere : Ita puniam illum, ut omnium aures
tinniant et timore concutiantur, I. Reg. III. Sic
redarguit regem Achab ob dimissum Israelita-
rum hostem, Benadad, per os prophetæ : *Quia*
dimisisti hominem dignum morte de manu tua, erit
anima tua pro anima illius, et populus tuus pro
populo illius, III. Reg. XX. similiter et Saulem
parcentem regi Agag, I. Reg. XV. Quinetiam
instigavit Alaricum Gotthorum regem, ut Romam
cum exercitu pergeret, ac vastaret propter ad-
missa scelera, testante Alarico, se ad hoc urgeri
a quodam genio sibi suggerente, ut Romam
vastaret. Quod cum nimis clementer, nec ad ri-
gorem implevisset, eum paulo post naufragium
in Sicilia passum misere periisse referunt Sige-
bertus, in chronico. Socrat. lib. VII. c. X. Sozom.
lib. IX. c. VI.

Secundo, de justitia omnino neglecta seu non
administrata. Quæsit ex hoc capite Absalon
titulum exuendi patrem imperio et regno suo,
asserens (sed falso) neminem a rege constitutum,
qui audiret causas pauperum ; existimans hanc
querelam, velut potentissimam, plurimum va-
litorum ad exauctorandum patrem Davidem, II.

Reg. XV. En vere alioquin hic defectus tantus
est, ut totam rempud. lamentationibus impleat ;
quibus ipsis Spiritus sanctus per ora pupillorum
et viduarum, aliorumque, quibus jus non dicitur,
redarguit. Magistratus redarguit per piis-
simos et æquitatis amantissimos reges : S. Lu-
dovicum Galliæ regem, qui singulis septimanis
his publico in loco causas pauperum audiebat,
apud Bzovium, anno 1270. necnon Alphonsum
Aragonæ regem, qui singulis feriis sextis iisdem
jus dicebat, ut a potentiorum injuriis eos de-
fenderet, teste Panormit. lib. 1. gestorum ejus.

Tertio, de justitia impedita, interversa, elusa
per violentiam et potentiam, per munera, per
astus. Quos omnes imprimis arguit per Isaiam,
c. 1. *Principes tui infideles, socii furum : omnes*
diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo
non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad
illos, quia scilicet ab istis non sperant munera
et favores : unde eorum causas cæteris postpo-
nunt, vel depravant et rejiciunt. Et rursum, c.
X. « Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes
injustitiam scripserunt : ut opprimerent in ju-
dicio pauperes, et vim facerent causæ humilium :
ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diri-
perent. Quid facientes in die visitationis et
calamitatis de longe venientis ? Ad cujus con-
fugietis auxilium ? » Arguit per gentiles et bar-
baros, qui plerique maximam justitiæ tuendæ
habuere rationem, uti Areopagitæ judices æquis-
simi ac severissimi, qui noctu judicabant in
tenebris, ne personas acciperent, vel eorum
moverentur aspectu, Alex. ab Alex. I. III. c. V.
Totilas Gotthorum rex rogatus, ut parceret cui-
dam, qui virginem constuprarat : Ejusdem,
inquit, ingenii est, delicto se obstringere, et deli-
torum supplicia impedire : omnino autem aut hunc
pœnam dare, aut Gotthorum rempublicam interire
necesse est, Sigon. XIX. de occid. imp. Theodo-
ricus item natione Gotthus, Rom. rex judices,
qui causam viduæ nomine Juvenalis triennio
suspenderant, postea ad regis jussum, intra
biduum expediverant, quia sic rex jussisset, sic
exceptit : « Quando eum vobis detuli magistra-
tum, nonne omnes causas et singulariter vi-
duarum commendavi ? Mortem estis promeriti,
quia causam duorum dierum spatium trium
annorum protraxistis ; » eoque momento jussit
eis capita amputari, ut alibi recensui. Arguit
per majores nostros, Germanos justitiæ aman-
tissimos, inter quos Otho I. Germanorum imp.
excelluit, de quo scribit Cranzius, I. III. metrop.
c. XII. « Otho I. imp. cum expeditionem mili-
tares crebrius duceret per Italiam, procidit ad
pedes ejus mulier, querens quod vim passa
esset stuprum, ac rogans justam legum vindic-
tam. Imperator vero ob festinationem ad redi-

tum suum rejiciebat legis executionem. At
mulier vicissim : Quis tum, inquit, tibi rex,
hanc tam atrocem illatam injuriam in mentem
revocabit ? Tum ille suspiciens in proximam
ecclesiam : Hæc, inquit, erit testis inter me et te,
et in signum justæ ultionis. Sicque illam dimi-
sit, ipse vero cum suo comitatu progressus est.
At cum pedem, rebus in Italia pacatis, referret,
ac videret ecclesiam, recordatur simul delatæ
querimonie. Jussit itaque advocari mulierem.
Quæ cum statim advolasset ad regem, sic eum
alloquitur : Serenissime rex, vir de quo sum
olim quæstus, nunc meus est maritus, peperique
ex eo et injuriam abolevi. Non sic, inquit, rex,
per Othonis barbam sentiet dolabrum. Nam
inter vos facta collusio sacris legibus non im-
perat ; jussitque virum securi percuti. »

III. Arguit mundum de judicio primo, de eo
non præviso nec præcogitato. Qua de re Chry-
sost. hom. II. in epist. ad Thessal. « Dic mihi
homo, ait, tribunali Christi cum sistendus sis
omnia magis loqueris quam de isto ? Et quidem
quando tibi cum judice causa est plerumque
verbo tenus dumtaxat, non nocte, non die, non
aliquo temporis articulo, non aliqua hora
aliud quid loqueris, semper de causa illa, quam
agendam habes. Cum vero de omni vita tua
rationem redditurus et pœnas daturus sis, neque
alios etiam pateris, qui te hujus judicii admo-
neant. Atqui propterea cuncta perire et inter-
cidere, quod humano quidem tribunali tempo-
ralium rerum gratia sistendi, neminem non
nomemus, neminem non rogemus, indesinen-
ter de illo solliciti sumus, omnia hujus gratia
facimus : ad tribunal vero Christi venturi, idque
breve neque per nos ipsos aliquid, neque per alios
facimus, judicem non rogamus, quamvis nobis
multum spatii ante judicium permittat ; ut illa
exuere aggrediamur, et nihil eorum quæ ad
ipsam recidunt, prætermittat bonitate illa sua et
benignitate. » Non agetur in judicio illo de jac-
tura vitæ hujus et aliarum rerum temporalium,
sed de summa salutis aut perditionis nostræ æter-
num duraturæ ; quis hoc judicium non timeat ?
Certe S. Greg. lib. XVI. moral. c. XXXI. ait : *Dei*
miseriordia oblivisci ejus dicitur, qui justitiæ Dei
fuertit oblitus. Quia quisquis eum nunc justum non
timet, postea invenire non valet misericordem, etc.
Quis non arguendos diceret reos, qui saltando et
jubilando exirent ad suum educti supplicium ?
At hoc agunt illi, qui immemores se pergere ad
judicium, exultant cum male fecerint, et ita vi-
vunt, ac si nullum futurum sit judicium.

Secundo, de eodem toties inculcato. Principum
mandata si semel tantum promulgentur, et
postea curiæ affigantur, obtinent vim suam, et
omnibus incutiunt terrorem, ne quis ea trans-

grediatur : Dei vero decreta et judicium toties
inculcatur hominibus, et tamen a paucis curatur.
Inculcatur ac timetur in lapsu angelorum tot
millium ob unicum peccatum ; quam ob causam,
Psal. LXXV. dicitur : *De cælo auditum fecisti ju-*
dicium. Qua de re S. Bernard. serm. II. de verbis
Isaiæ VI. « Quid, inquit, putas ? Indifferenter
admittet homines in illud tantæ beatitudinis
templum, qui ne ipsos quidem angelos indif-
ferenter reliquit in eo ? Aut non discernet Inter
glebas, qui discrevit inter stellas ? Qualem ergo
putas, necesse est hominem invenire, qui re-
pudiati locum angeli sortiatur ? » Inculcavit
imprimis parentibus post transgressionem in
paradiso judicatis et condemnatis : postea in
diluvio, in Pentapolis incendio, in terræ hlatu
absorbente rebelles. Denique, nihil frequentius
in sacris litteris, quam judicii extremi memo-
ria, ut vel solos prophetas legenti patet ; quia
nimirum ea noster *pædagogus est ad exercendam*
pietatem, ait D. Basilius, in id Isa. 1. *Quærite ju-*
dicium. Viderit is, qui hunc pædagogum a se
repellit, quid Deo responsurus sit. Certe muri
Jericho conciderunt, postquam sacerdotes sep-
ties clangendo tubis eam circumierunt, Jos. VI.
Jam vero non septies sed septingentes clamant
undique, et inculcant sacerdotes Dei judicium,
et interim dura peccatorum corde minime mo-
ventur.

Tertio, de eodem deriso et contemptui habito,
quasi nunquam futuro. Qua de re præclare
Origenes, hom. VIII. in Levit. ita scribit :
« Vereor, ne ignem non membris singulis sed
toto corpore mereamur. Cum enim lasciviant
oculi, vel per illicitas concupiscentias vel per
spectacula diabolica, quid aliud nisi ignem sibi
congregant ? Cum aures non avertuntur ab au-
ditis vanis derogationibus proximorum ; cum
manus e cæde nequaquam et rapinis ac de-
prædationibus continentur ; cum pedes veloces
sunt ad effundendum sanguinem ; cumque cor-
pus non Domino sed fornicationi tradimus, quid
aliud nisi totum corpus tradimus in gehennam ?
At hæc cum dicuntur contemptui habentur.
Quare ? Quia fides deest. Alioquin si tibi hodie
diceretur, quia judex sæculi vult te crastino
vivum exuere, et his auditis esset tibi unius diei
spatium liberum, quanta faceres ? Quomodo et
per quos discurreres ? Quam humilis, quam
lugens et sordidus oberrares ? Nonne effunderes
omnem pecuniam tuam in eos, quorum inter-
cessione evadere posse te crederes ? Nonne
omnia quæ possides redemptionem faceres
animæ tuæ ? Quod si etiam aliquis te retardare
aut impedire tentaret, nonne diceres, pereant
omnia pro salute mea, nec quicquam remaneat,
tantum ut ego vivam ? Hoc quare faceres ? Quia

Inde dubitares, hinc dubitas. Et ideo bene Dominus dicit: Putas veniens Filius hominis, inveniet fidem super terram? Et quid ego dico de certis indubitatisque periculis? Tantummodo si causa dicenda sit apud iudicem terrenum, qua aliquem metum ex legibus habere videatur; nonne omnibus vigiliis excubatur, advocato patrono munera præparantur, etiamsi anceps periculum sit, aut etiam solius notæ metus, vel damni ratio? Nos quare non credimus, quod omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut reponet unusquisque propria corporis prout gessit, sive bona sive mala? Hæc si integre crederemus, esset nobis secundum quod scriptum est: Redemptio anima viri, divitiæ ejus. Sed unde possumus hæc vel credere vel intelligere, cum ne ad hæc ipsa quidem audienda conveniamus? Quis enim vestrum cum recitantur Scripturæ præbet auditum? Sic ille. Prævidit Spiritus sanctus fore ad finem mundi, (cui nos propinquos esse vix est quod dubitemus) hujusmodi homines liberrimos, qui ut suis concupiscentiis velut equi effrænes adhinniant et indulgeant negabunt futurum iudicium, quos redarguit per Sanctum Petrum, epist. II. c. III. dicentem: *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores dicentes: Ubi est promissio aut adventus ejus? Verum apparebit in finem* (ait Habacuc, c. II. et ex eo apost. ad Heb. X. *Et non mentietur, si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet et non tardabit.* Aut enim Deus non est, aut justus est. Quod si justus est, ergo statuit diem, in quo reddet unicuique secundum opera sua: cum hoc in isto sæculo non fieri sæpissime videamus, imo justos negligi, opprimi, extingui, injustos vero coli, adorari, exaltari.

Quare concludo cum S. Gregorio scribente ad Justinum prætorem Siciliae, epist. secund. his verbis: « Per omnipotentem Dominum rogo, in cuius tremendo iudicio nostrorum actuum posituri rationes sumus: ut ejus respectum semper gloria vestra ante oculos habeat. Cuncta hic reliquimus, et solas dispendiosorum lucrorum causas nobiscum ad iudicium deportamus. »

CONCIO II.

CURSUS VITÆ HUMANÆ QUALIS.

Est aquila volans ad escam. — II. Dies nostri quasi naves poma portantes. — III. Velociores cursore

THEMA.

Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogabit me: Quo vadis? Joan. X.

Quæsitum fuit aliquando e philosopho quo-

dam, quid esset vita hominis. Is ad hoc quæsitum; parum per se conspicuum ostendit mox se proripiens abscondit; indicans vitam hominis non esse nisi momentaneum sui conspectum, moxque cursum ad sepulchri latebram, apud Rud. Agric. I. I. c. XXI. Hoc idem docet nos cœlestis philosophiæ doctor Christus, cum in ultima cœna stans sermonem ad discipulos habuit, moxque inde ad montem Olivæ indeque ad mortem suam perrexit, quando id claris verbis disserens ait: *Nunc vado ad eum, qui misit me: et mox: Modicum et non videbitis me.* Indicat enim vitam homini esse viam ad mortem, et quidem brevem, ac solum unum nunc. Hoc vero ut clarius perspiciamus, audiamus etiam alterum sapientem, Jobum, qui, c. IX. vitæ suæ cursum describens ait: *Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt et non viderunt bonum. Pertransierunt sicut naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam.* E tribus elementis cursum vitæ suæ demonstrat, ex aere per volatum aquilæ: ex aqua per navis transitum: ex terra per cursoris velocitatem. Et tamen adhuc quam plurimi homines intelligere nolunt se ad mortem ire, nec interrogant se: *Quo vadis?* Putant se nunc quiescere, nec nisi post multos annos viam alterius sæculi inituros, cum tamen jam de facto quam celerrime eo tendant, adeoque semper vadant. Qualis autem ea via sit, ex Jobo nunc videbimus.

I. Dies nostri pertranseunt: *Sicut aquila volans ad escam*, inquit Job. Aquila celerrimo impetu: *Instar tormenti*, ut ait Isidorus, lib. X. c. VII., devolat in prædam, eamque si abripere non potest, frequentatis ictibus pulsat, lædit ac fatigat, v. g. leporem aut porcellum, donec conficiat. Sic dies vitæ humanæ primo celerrimo volatu pertranseunt, quam celeriter currit sol; deinde homines invadunt curis, miseriis, morbis, ærumnis, rapinis, odiis; et si non statim enecant, frequentatis saltem ictibus enervant et conficiunt. Sensit hoc imprimis ipse Job, qui primo nuntium accepit, boves suos et asinos a Sabæis ablatis, deinde venit alter muntians oves quoque igne cœlestis lapso tactas omnes periisse: rursus alius nuntiat camelos a Chaldæis raptos: post hunc alius asserens filios una cum filiabus ruina domus oppressos: ad extremum ipsa ejus caro pessimo ulcere percutitur a capite usque ad plantam pedis: super omnia accedit uxor et insultat ei. Ecce tibi hic lepuseculus quod ictibus pulsatus est. Unde c. XVI. queritur: *Convulneravit lumbos meos et effudit viscera mea, concidit me vulnere super vulnus.* Hinc ergo inde merito appellavit Jacob dies vitæ suæ *dies malos*, Genes. XLVII. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt.*

parvi et mali. Cur parvi seu pauci? Quia celerrime transierunt. Cur mali? Quia curis et ærumnis pleni, ipsam etiam plurimis ictibus lacerarunt, modo fratris odio, modo soceri Labani persecutione, modo raptu filiae, modo dulcissimæ conjugis Rachelis præmatura morte, modo dilectissimi filii Joseph perditione, modo Simeonis, alterius filii, in carcere detentionis. Tertio, repente et insperato, in medio sæpe vitæ cursus et ætatis ac prosperitatis flore hominem abripiunt, sicut aquila corripit aves in ipso volatu, lepores in cursu, pisces dum læti et securi ludunt in aquis. Sensit etiam Job, qui in medio prosperitatis et abundantiae, cum jam charissimos liberos, adultos et nobiles ipse sanus et valens haberet, de repente in die una omnibus spoliatus est, uti testatur, cap. XVI. *Ille ego quondam opulentus repente contritus sum. Tenuit cervicem meam et confregit me.* Hunc in modum homines in medio prosperitatis et ætati cursu vel percutiuntur ac conteruntur morbis aliisque ærumnis, aut omnibus omnino spoliantur ab insperata morte. Sensit hoc inter alios Æschylus poeta Athen. qui ruinæ mortem oraculo sibi denuntiata fugiens, tecta dum vitat, et sub dio in saxa sedet calvo et aperto capite, aquila testudinem in caput dimittit, saxum esse rata, sicque ipsam enecat, Plin. I. X. c. III. Sensit hoc prænobilis vir Bertholdus de Bertholtz cognomine Schranck, qui cum anno 1256. Pragæ per pontem gloriosus (forsan ad palatium regis) equitat et turris minoris civitatis appropinquat, lapis de apice turri dejicitur a duobus corvis, mutuo inter se pugnantibus, in equitantis caput eumque conterit Lupacio auct. in calend. histor. ad 18. decembris. Sensit non ita pridem Polonus eques, quando Cæsarianus exercitus cum rege Dano confliturus, per inferiorem Saxoniam iter faceret, ubi utrimque paludosum solum viam negarat, is enim militari fascia cæteroque habitu insigniter ornatus, et cane suo comitatus leporem extemplo conspicit, per campi vicina spatia se proripientem. Quem dum primo canis, deinde herus equo insequitur, repente in conspectu exercitus demergitur in paludem, cespitem optatam, ut nil amplius neque de equo, neque de equite præter pileolum capiti excussum apparuerit. Refert P. Stengelius, in labyrin. seduct. p. I. c. VI. Et quid multis? Sentiant in quotidie non pauci, qui repentinis morbis aliisque miseriis opprimuntur. Denique, sicut aliarum genus, quod vultures appellamus, prævenit strages et conflictus hominum necandorum, atque ad locum stragis convolat, teste Plin. I. X. c. IX. ita multi ante tempus hinc abripiuntur exigentibus eorum peccatis: uti contigit hominibus,

qui diluvio ob peccata sua absorpti sunt, viginti annis citius, quam id eis destinatum sit, secundum Hierom. Chrysost. et Hugon. cœpitque mense maio inchoante; quo homines de deliciis, de agricultura et structura cogitare solent.

II. *Quasi naves poma portantes.* Vita hominis recte navi comparatur, quia ut navis ab angusta prora incipit et rursus in angustam puppim desinit, ita vita hominis ab infantia debili et insipiente oritur, et in senectutem rucsum atque insipientem occidit. Hæc ergo celerrime præterlabitur, ut navis in mari agitata vento, et remis insuper concitata: præsertim si poma et fugaces alios fructus ferat; hæc enim partim ob levitatem ponderis facillime propellitur, partim ob periculum putrefactionis mercium fortissime impellitur. Sic currunt dies vitæ nostræ, non solum ex propria fragilitate, sed etiam impulsu nostro, per inordinatam et intemperantem vitam. Sentimus vero hoc potissimum, postquam ætas nostra una post alteram elapsa est; tunc enim miramur, unde mihi tam cito cani? Unde jam rugæ? Unde dentium lapsus? Unde pedum debilitas? Sicut mirantur navigantes, quod terra tam repente conspectu eorum fugiat.

Secundo, sicut navis in continuo cursu est; ita et vita nostra. Unde S. Greg. I. VI. ep. XXVI. ad Andream ait: « Vita nostra naviganti similis est. Is namque qui navigat, stat, sedet, jacet, vadit, quia impulsu navis ducitur: ita ergo et nos sumus, qui sive vigilantes sive dormientes sive tacentes, sive loquentes per momenta temporum ad finem quotidie tendimus. » Putant navigantes obvias sibi naves, imo et rupes ac montes currere, se vero stare, cum tamen ipsi celerrime currant: ita qui sani et juvenes sunt, alios morti appropinquare, se vero minime existimant, cum æque celeriter ferantur, sed quasi insensibiliter. Cum comitantur defunctum juvenem aut virum ad sepulcrum dicunt: Proh quam hic celeriter mortuus est! Cum ipsi pari passu incedunt. Quare ut hujus rei memores essent viri aliqui, suam secum naviculam, feretrum inquam, aut circumferabant, ut Maximilianus imp. triennio ante mortem; aut in eo cubabant, ut Genebaldus Laudunensis episcopus, septem annis recubans in lectulo ad formam sepulchri confecto, in vita S. Remigii, 4. oct. aut crebro præ oculis habebant, uti S. Ida, vidua Egberti, majoris domus Caroli M. quæ feretrum suum quotidie alimentis implevit et pauperibus distribuit, 4. sept. Sur.

Tertio: *Sicut naves poma portantes*; quia plerique hominum onerant vitam suam rebus fluxis et fugacibus, et nullius fere pretii, (qualia sunt poma) cras ad vitam alteram secum ferre